Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2011

Quelle:
Copyright:

Eucharistiæ extracta ex Amalbario de officijs diuinis. Incipit: *Episcopus de Secretario progrediens ecclesiam a leua ingreditur.* &c. Extant Libri IV. *Amalarii* Chorep. Metensis *de Ecclesiastico Officio* in Collect. Liturg. *Melch. Hittorpii*, et in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XIV. p. 934. Synopsis haec adjungi poterat similibus aliis, quae in *Opp. Cassandri* impressis leguntur, sed Editoribus ignota fuerit.

XVII. *fol.* 60. *Defensio Canonicae auctoritatis, et catholicæ traditionis de vsu integri sacramenti Eucharistiæ. Agr. Pute.* Initium: *Magna et odiosa contentione non nunc modo hac postrema mundi et ecclesiæ ætate, verum iam inde a sæculis aliquot quæritur et disceptatur, rectene dominici corporis et sanguinis sacramentum, recepto iam annos aliquot per Occidentis ecclesias more, sub altera tantum panis specie et a præsbyteris populo dispensetur, et a populo accipiatur* &c. Magno conatu tractatum argumentum, nihilque tam e sacris Literis, quam ex omni antiquitate Ecclesiastica omissum ad constabiliendam Communionem sub *utraque* Specie. An et hanc Tractationem a *Ferdinando* I. Imp. invitatus susceperit *Cassander* (Cassandri enim esse, ut supra dixi, ad marginem monuit *Tengnagelius*) non liquet. Illud certum, iisdem hic agi rationibus, quibus innititur *Cassandri Consultatio* de eadem Controversia, quam et separatim 1564. 8. et in *Operibus* ejus ad p. 1015. editam habemus.

XVIII. *fol.* 116. *Quid sentiendum de ministerio et sacramentis pontificiorum. Ag. Pu.* Initium: *Synagoga Judæorum quæ et ipsa fuit ecclesia Dei ætate Christi et supra, imo iam inde a Judicum, Regum et prophetarum temporibus, multis modis fuit corrupta* &c. Adserto hoc multa in luce collocato ita ad ἀπόδοσιν transit: *Videtur autem præsens ecclesiæ status eam, quæ erat Christi tempore synagogæ imaginem prorsus referre.* Atque hinc Ecclesiam Romanam acriter carpit. Inter cetera: *Panem tantum magicis quibusdam susurris in corpus domini ut volunt transmutatum porrigunt.* Quae, quomodo cum Cassandro *Consultat. Art.* XXIV. *de Missa* p. 991. in Consecrationis impugnatores scribente: *Quod cogitatu horrendum est, eam Magiæ, incantationis et præstigiarum insimulant*, concordent, alii dispiciant. Atqui Tractatus *Ag. Pu.* praefert.

XIX. *fol.* 124. *De prædestinatione et libero arbitrio. Ag. Put.* Initium: *De præscientia et prædestinatione dei duplex est sententia* &c. Sincera Disputatio, *Augustini* vestigiis insistens, et *Praefationi* conformis, quam *Cassander* ante *Honorii Augustodun. Dialogum* de eadem materia *Opp.* p. 614. scripsit.

XX. *fol.* 134. *Farrago de iustificatione. Ag. put.* Incipit: *Verbum Hebræum* צדק *et* הצדיק *nonnunquam etiam* צדק *quod Latini*